

*Pavetta Brown. t. 6. f. 2.* esse hanc affinem Coffeae judicas, et certe non inepte, praesertim si semen membrana, quam ego Arillum dicere soleo, sit involutum; et forte pro Coffea sit agnoscenda, licet semen sit unicum, cum corolla tantum sit quadrifida, nec 5fida; vel potius novum genus constituat, Arillo notabiliter a reliquis distinctum. Coffeae affinitatem etiam indicat stipula utrinque solitaria. Folia in meo specimine terna e regione sunt, eadem Plum. t. 157. f. 2. est.

At in *Ixora tua* 1, quam eandem dicis cum Plum. t. 157. f. 1. fructus apud Plumierum manifeste inferus, dicoccus est.

*Ouragogam*, quaeso dicas *Uragogam*, sed non optimum, cum terminus medicus.

*Fagarae* speciem esse Pluk. t. 107. f. 4. doces, nec refragabor, cum flores non viderim.

*Scoparia fl. sessilibus* nova et curiosa species, floribus ad basim limbi fimbriatis.

*Melastoma discolor* syst. nat. 1022. n. d. quae *Stoane* t. 108. f. 1. de hac scribis: *ad Rhexiam retuli, est enim fertalis, corollis erectis, fructu baccato loco capsulae, a Melastomate nimis diversum.* Nonne fructus *Melastomatis* fit bacca, *Rhexiae* vero capsula?

*Melicoccus* an huic stamina 8. Si 4 essent videretur mihi affinis *Fagaris*. An *Schini* species?

*Triopteris viscosu* mihi multoties in hortis nata nunquam floruit, et olim a *Jussiaeo* literas habui, in quibus dixerat eam apud se floruisse et esse omnino *Pteleae* speciem, et calyce 4fido; alius in India orientali mihi rescripsit eandem gaudere staminibus octo. Qualis erat calyx a Te visus? an quadrifidus? certe fructus omnino est *Pteleae*, qui in *Ptelea trifolia* saepe variat 3 alis.

*Bontiam Br.* statuis esse *Avicenniam*, de qua re ego valde haereo. *Avicennia* nunquam crevit in America. *Bontia Brownii* est *Bontia germinans* Syst. nat. 1122. adeo graphice et egregie a *Loeflingio* descripta, qui nunquam vi-